

CHRISTOPHERVS DANIAE REX.



Christopherus ex illustri ducum Bauariæ familia natus, in omni uirtutum genere plurimum excelluit, atq; inter Germaniæ principes in magna existimatione fuit. Itaq; Daniæ proceres eum regem elegerunt, atq; id ei per Legatos signi ficarunt. Erat enim Erici ex sorore nepos. Promiserant autem Dani se se effecturos, ut etiam breui regno Gothorum, Sueonum, & Noruegiorū potiretur. Itaq; Christopherus multis Bauaris comitatus in Daniam peruenit, & regnum oblatum suscepit, anno Christi 1440. biennio post etiā in Metropoli Vpsalensi rex Sueonum constitutus & coronatus est. quanta autem fuerit eius diei gloria & magnificētia ex eo potest cognosci, quod post militares ludos, ac plurima regij apparatus spectacula, septuaginta proceres cingulo militari decorati, & ad equestrem ordinem promoti ab eo fuerint.